



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De voluntario, & libero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Examen II. De Actibus humanis.

eaque intellectiuae partis vtriusque iuxta probabilem sententiam: at secundum probabiliorum solius intellectus.

6. *Quanam ex Beatitudine proprietates consequuntur?* Plures equidem, ex quibus tres dicuntur animae dotēs, Visio, Comprehensio, & Delectatio; nam rectitudo voluntatis effectus tantum est necessarius beatitudinis.

7. *Requiriturne ad essentialem animae beatitudinem coniunctio cum corpore?* Minimè, nec eius societate minuitur, aut augetur nisi accidentariè, ad illam etiam aliqua ratione deriuata.

8. *Quotnam corpori dotēs concedentur?* Quatuor, Impassibilitas, Claritas, Subtilitas, & Agilitas.

9. *An amicorum consortium, aut externorum copia bonorum aliquid ad eius perfectionem beatitudinis conferent?* Nihil, Deus enim omnia beato.

10. *Estne ad hanc beatitudinem in homine capacitas?* Ita planè. At neque viribus naturae expletur, nec homini debita, aut proportionata est, cum naturalem omnem excedat perfectionem, ideo congruentius affirmo haud esse naturalem ad eam in homine appetitum: ideòque sine gratiae auxilio ad eam non potest perueniri.




EXAMEN II.

Circa materiam de Actibus humanis.

CAPVT PRIMVM.

De Voluntario, & Libero.

1.  *Videst humana Actio?* Propriè loquendo, est hominis operatio voluntaria ac libera, aut eius ommissio. S. 1. Volunta-

2. *Quidnam Voluntarium?* Id quod à principio intrinseco fit cum cognitione particularium, in quibus actio consistit. *Reperitur in brutis?* Ita planè, sed imperfectum. Ad perfectum enim Voluntarium etiam rationis vsus, & libertas requiritur.

3. *Quotuplex Voluntarium?* Duplex. Directum, quod à voluntate tanquam à causa fit operante. Indirectum, quod ab eadem tanquam à causa non operante fit. Item Voluntarium expressum, quod signis aut verbis significatur; & tacitum

citum quod sine verbis aut signis, ex circumstantiis colligendum.

§. 2.
Liberi.

4. *Quid Liberum?* Quod positis omnibus requisitis ad agendum, absque eo quod vlla fiat in se mutatio, potest agere, vel non. Hinc Libertas in voluntate formaliter sita est, in intellectu verò radicaliter.

5. *Num actiones usum rationis praeuenientes liberae sunt?* Non, quia ad has rationis aduertentia requiritur.

CAPVT II.

Vndenam Voluntarium aut Liberum tollatur?

6. *Quidnam ergo Voluntarium seu Liberum tollit? Num Vis?* Tollit quidem Vis absoluta, nec imputatur ad culpam, quod ex illa committitur, vti in virgine stuprum, idoli adoratio, contractus cum vi initus.

7. *Num Ignorantia?* Si sit antecedens, voluntarium tollit, non consequens. Comitans autem aufert tantum negatiue; quia tollit necessariam negationem, non autem efficit inuoluntarium.

8. *Num Metus?* Est quidem Metus grauis, qui in virum constantem cadit, nec à constantia valet repelli; & leuis, qui cadit in meticulosum. Neuter irritat contractus iure naturæ; at grauis positiuo iure nullos reddit. Metus igitur tollit secundum quid Voluntarium, absolute verò Voluntarium facit pro loco, & tempore.

9. *Num Concupiscentia?* Hæc quidem Voluntarium auget in actu, quatenus delectabilis est. At minuit in eo quod efficit, vt inhonesti ratio minùs consideretur; quæ vera sunt de concupiscentia consequenti ex vehementi voluntatis appetitu, & consideratione intellectus: non autem de antecedenti consensum voluntatis, & aduertentiam intellectus.

CAPVT III.

De Bono, & Malo Morali.

10. *Cum Morale per se primò conueniat actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus: Quidnam est Morale?*